





B. N.  
309.

Xm. 195.

**DISPUTATIO  
DE  
SIMPLICIUM  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS**

X.

*Ex Capitibus 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.*

*25. 26. 27. & 28. quod ultimum est Libri  
tertij Galeni de simplicium medicamento-  
rum facultatibus, congesta:*

ET

*Publici exercitij gratia in inclyta Argen-  
toratensium Universitate proposita*

à

**MELCHIORE SEBIZIO,  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-  
reo, ac Reipubl. Archiatro:**

*Respondente*

**CHRISTOPHORO LUDOVICO  
Hecker/ STUTGARDIANO.**

• 6(1)9 •

**ARGENTORATI,  
Typis EBERHARDI WELPERI.**

**M. DC. XLIX.**

SERENISSIMO  
CELESSIMO QVE PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

EBERHARDO III.  
DUCI WÜRTEMBERGIAE AC  
TECCIAE, COMITI MOMPEL-  
GARDIAE, DYNASTÆ HEIDEN-  
HEMI, &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO  
CLEMENTISSIMO:  
NEC NON

Amplissimis Incluti Ducatus Würtembergici Or-  
dinibus provincialibus selectioribus,  
DOMINIS:

Salutis publicæ Curatoribus Fidiss: Fautoribus  
eximijs:

DN. MELCHIORI NICOLAI, Theol. D. Uni-  
vers. Tübing. Procancellario dignissimo:

DN. HENRICO DAVBERO, Abbatii Murrhar-  
tensi, agriq; Maulbrunnensis Inspectori generali:

DN. IOHANNI ADAMO DAPPEN, } V.I. Lic.

DN. CHRISTOPHORO GASPARO, } meritiss.

DN. IOH. IACOBO ADLVNG,  
Stuttgardæo:

DN. IOHAN. SEBASTIANO KÜNLINO, } Coss:  
Marpacensi:

DN. LVDOVICO KLEINBVOB, Calvensi: } Pru-

DN. CASPARO KEÜRLEBERO, Nürtingensi: } dent:

DN. CHRISTOPHORO WEISENMAIERO, } .

Hicce Thesibus Medicis

Se suaq; studia submisæ commendat

Christophorus Ludovicus Heger / R.

# PROBLEMA

## I.



Ossintnē ea, quæ frigida sunt, per se ipsa, citra aliquius externi subsidij opem & adminiculum, intrō subire, & in corporis partes penetrare? Negat Galenus: sed, ut frigida pharmaca penetrant, opus esse dicit ministerio caloris nostri nativi. Probat hoc triplicē argumento.

I. est. Q. intrō ad se trahit, & comminuendo extenuat, ejus ministerio atq; auxilio opus habent talia refrigerantia. At calor noster nativus hoc facit. Ergo illius ministerio & auxilio opus est refrigerantibus.

II. Si frigida deleteria citius magisque in calidis naturis vim suam exerunt, quam in frigidis, sequitur, illis opus esse ministerio & auxilio caloris nativi. At prius verum est. Ergo & posterius.

III. Præsupponit hoc fundamentum: quod frigida pharmaca, quæ δηληπια sunt, ut Cicuta, Papaver, Hyoscyami semen, Mandragora &c. hominem interimant. Interimere autem illum nequeant, nisi prius cor ipsum refrigerent.

Ideoq; necessum sit, comminuta & extenuata ingrediantur in corpus: id quod ex sua natura præstare nequeunt. Etenim, quæ crassarum sunt partium, ignara & pigra admodum, nec, ut minutim concidantur, prorsumque ferantur, ex sua natura obtinent, ea adscititiam requirunt caliditatem, quæ illa in minutis secet particulas, attenuet, comminuat, & manu quasi ducat, inque exiles partium omnium meatus ducat. At dicta frigida ὁντησία talia sunt. Ergo requirunt calorem extraneum, ut ad interiora pertingant.

Si quæras, quid eveniat, si caliditas illa absit. Respondet Galenus, frigida illa pharmaca cunctari, tardare, & in amplioribus hærere meatibus, innatate etiam quasi venis atque arterijs, & progressu temporis per longos errores, multasque jactationes ab humoribus, qui inibi sunt, aliquid viciſſim pati: idque ex hoc principio, quia qualitates omnes in ſe mutuo agunt. Patiuntur autem frigida pharmaca aliquid ab humoribus, perinde ac lapis, qui ab aſiduo aquæ ſillicidio excavatur, & gladius, cuius acies hebetatur à cera.

Si iterū roges, quomodo & quando frigida hæc ὁντησία hominem enecent? Respondet Galenus ad prius, enecare refrigerando. Etenim, si actiones animantium à ſolidarum partium calore proficiſcuntur, neceſſe eſt, eo extincto, & corpore refrigerato, hominem interire. At prius verum eſt. Ergo & posterius.

Ad

Ad posterius dicit, tūm demūm hominem  
perire, cūm partes istae ab hisce medicamentis  
fuerint refrigeratæ. Refrigerari autem non posse,  
nisi medicamenta illa in proprios partium mea-  
tus subjerint, seseque insinuārint: quod tamen  
ex sua natura facere nequeunt: idque propter  
allatam rationem, quia crassa sunt & ad mo-  
tum tarda. Opus igitur esse externo subsidio,  
quod illa ad interiora ducat. Deducere autem  
causas ob duas: unam, quæ primaria, arterias, quæ  
in diaſoλη attrahunt: alteram, quæ secundaria,  
essentia tenuitatem illius pharmaci, quod pene-  
trare & intro subire tenet. Hac cūm frigida  
medicamina destituta sint, idcirò tali ipsis opus  
est subsidio, cuius beneficio penetrare valeant.

Ex quib. consequitur, corpora frigidiora tra-  
ctum ateriarum habere debiliorem, quam calida:  
non posse etiam medicamentorum substantiam  
celeriter in minutas partes redigere. Vnde ac-  
cidit, ut medicamenta talia, quæ sunt frigida, pro-  
cedente tempore cunctando aliquid patiantur, &  
forsan etiam concoquantur, veluti succus lactuæ.  
Nam & is tempore concoquitur. At si integer  
ad cor pergere properaret, non secus atque cicu-  
ta hominem tolleret è medio. Quod ipsum quo-  
que de alijs succis refrigerantibus dici affirmari-  
que potest. Nam nisi celeriter necare possint,  
postea vires suas amittunt, quoniam ab humoris  
alterantur, vincuntur, atque ita nullius red-  
duntur effectus. Lib. 3. c. 18.

## II.

Quotnam sint venenorum genera, & quomodo nos interficiant? Duo illorum genera Galenus tradit, hoc & sequenti capite: frigida & calida. Illorum nullum τῷ γένει, genere, h. e. natura & substantia διαλύγον esse dicit: sed τῷ ποσῷ μένον, sola quantitate: hæc vero talia esse τῷ γένει asseverat. Illa frigore necare, hæc non solo calore hoc facere statuit, sed διαβρώσει σὺντε, corrosione & putredine, quæ ambo tamen à calore proficiscuntur. Illa interimē arbitratur, si agant celeriter, quia tempore excalfacta vim, qua operabantur, amittunt. Hæc progressu temporis validiora deterioraque evadunt: quoniam temporis spatio putrescant omnia, eoque magis, quod locus fuerit calidior & humidior. Vtique ergo, calida & frigida, necant. Necant autem, quia cor affligunt. Affligunt vero, quoniam efficiunt, ut cor à munere suo, ipso nimirūm pulsu, cesset. Nullum enim animal mori potest, nisi cor actione sua privetur. Privatur autem, cum magna affectum est intemperie: qualem illi imprimere solent frigida venena in magna copia assumpta. Copia enim, non genere, uti dictum, hominem jugulant. In exigua quantitate assumpta, vincuntur & nutriunt. Simile enim quid ijs accidit, ubi ad cor peregere cunctantur, quod lignis humidis & viridibus. Hæc namque, si acervatim in ignem coniçiantur, illum tèlerrimè extinguunt: sin igni undiquaque in orbem

orbem prius circumponantur, ut siccentur, & calescant, & postea sensim ei addantur, tantum abeat, ut illum extinguant, ut etiam q. pabulum aliquod ipsi subministrent. Sic cicuta hominem quidem trucidat, tūm ob meatuum corporis amplitudinem, & caloris abundantiam, tūm ob attractionis arteriarum robur validum, etiamnum ad cor pertingens.

Si quæras, quæ causa diversitatis sit, quod eadem non etiam Sturnos exanimet? Respondet Galenus, causam esse, quod cicuta & retineatur, & cunctetur, & sese tractu temporis concoqui, preparariq; à corde, tanquam à foco incalescens, patiatur, non secus ac ligna extrinsecus. Id enim hīc evenit, quod in esu lactucarum. Nam moderato usu hominem alunt: expressus verò earum succus largiter haustus, vita privat, ut cicuta & papaver. Lactuca si cor refrigeraverit, hominem extinguit: sin concoquatur, alit. Eodem modo cicuta, cùm celeriter distribuitur, eidem mortem adfert: Sturnos verò tarditate nutrit. Si verò exiguum quid illius sumatur, vitam minimè adimit. Probavit hoc anus illa Atheniensis, cuius apud omnes per celebris erat memoria. Auspicata enim ab exigua Cicutæ portione, nullo incommodo ad magnam progressa est copiam. Principio enim paucum ipsa devictum est exiguitate; at consuetudo, quæ altera & ascititia Natura dicitur, & plurimum potest, naturalem reddidit.  
Lib. 3. c. 18.

### III.

Ut quæ dicta sunt cap. 18. & 19. hujus libri tertij, clariora sint, magisque perspicua, quæri posset, ad quot theorematum reduci queant? Resp. Ad sequentia 15.

I. est: Deleteria pharmaca vel frigida sunt, vel calida.

II. quæ frigiditate hominem extinguunt, non v̄eris, natura malifica, sed τῷ ποσῷ, nimia quantitate hoc efficiunt.

III. quæ calida sunt, non quantitate, sed vi malefica hominem destruunt.

IV. ut medicamenta operentur, opus est caloris nativi auxilio, qui intro ad se trahat, & continuendo extenuet, sicque illa in actum deducat.

V. Frigida pharmaca, quæ deleteria dicuntur, citius & magis vires suas exerunt in calidis naturis.

VI. Ut eadem interficiant, necesse est, ut corporis refrigerent.

VII. Ut hoc præsent, requiritur, ut intro subeant comminuta & extenuata.

VIII. Sic vero subeunt non natura propria, (crassæ enim sunt substantiæ & ad motum tarda) sed beneficio caloris nostri corporis. Hic enim secat, attenuat, comminuit, & in exiles partium meatus quasi manu deducit.

IX. Calor iste si desideretur, tūm frigida medicamina cunctantur, hærentq; in majorib; meagibus;

etibus, & temporis spatio aliquid ab humoribus  
inibi sitis, patiuntur, suaque vires amittunt:  
quo fit, ut excessivè partes non refrigerent, ac  
proin vitam neutiquam demoliantur: imò potius  
concoquantur, & corpus nutriant.

X. Frigida medicamenta, si integris viribus  
ad cor properent celeriter, illud refrigerant, ho-  
minemque delent. At si cunctando tardandoque  
aliquid patientur, mitescunt, vincuntur, & pla-  
nè concoquuntur.

XI. Calida deleteria, quò diutiùs manent, ed  
deteriora evadunt.

XII. Frigida si dentur comminuta, aut in  
forma potionis, citius jugulant, quam si dentur  
in forma solida. Ratio est: quoniam substantiæ  
tenuitas atque exilitas, quemadmodum & fluxi-  
bilitas, distributionem promovent.

XIII. Quæ frigiditate occidunt, ea in exigua  
sumpta quantitate mortem non inferunt: non  
magis, quam si copiosæ flammæ pauxillum instil-  
les aquæ, aut lignum humidum ac viride in il-  
lam coniicias in pauca quantitate.

XIV. Si calor absit, qui tūm comminuat, tūm  
ad cor usq; perducat, tum frigida vitam adime-  
re nequeunt.

XV. Si quod comminuit ac deducit, multò  
fuerit validius, planè superat, & in alimoniam,  
quod assumptum fuit vertit.

#### IV.

Utrum quæ tñ quæ frigida sunt, veteres

X. §

recte

rectè dixerint talia esse τῆς δυνάμεις? Rectissime! Probat hoc Galenus argumento sequenti. Quæ agendi facultatem, & alterationis principum à nostro corpore, quod passurum, accipiunt, & agere absque patientis corporis auxilio non possunt, ea δέοντας, rectè, convenienter, & decenter alterantia dicuntur τῆς δυνάμεις. At medicamenta refrigerantia agendi facultatem, & alterationis, h. e. refrigerationis principium τῶς, quadantenūs, accipiunt à nostro corpore, quod passurum & refrigerandum, & absque illius auxilio agere & refrigerare non possunt. Ergo δέοντας frigida δυνάμει dicuntur.

Minor probatur. Quæ opus habent calore nostro nativo, tanquam principio actuante, ut actu corpus alterent, ea agendi facultatem & alterationis principium quadantenūs à nostro accipiunt corpore. At medicamenta refrigerantia opus habent calore nostro nativo, tanquam principio actuante. Ergo agendi facultatem & alterationis, h. e. refrigerationis principium à nostro corpore accipiunt, Lib. 3. c. 20.

V.

Num & calefacientia medicamina, quæ talia τῆς φύσει statuuntur, etiam δέοντας τῆς δυνάμει calida dici queant? Respondet Galenus affirmando: quia & ipsa agendi potestatem à calore nostro nativo quadantenūs sortiuntur: quamvis modo diverso. Nam non τελέως, prorsus ex se habent, ut calefiant, sed necesse est, ut aliquid

aliquid prius à nobis patientur, h. e. quodammodo alterentur & incalescant. Quæ autem refrigerant, priusquam refrigerent, in minuta conterantur, & nivis in extinktione, adventitium motum, narciscantur oportet. Utrisque igitur, tūm natura calidis, tūm natura frigidis, commune est, alterationis principium à corporis nostri, quod passum & alterandum, calore nativo, mutuari: sed cum hoc discrimine, quod calida duntaxat à corporis nostri calore incalescant: frigida autem ab eodem comminuantur, & motum adscititum acquirant, quemadmodum dictum. Quodsi rāmen libeat ea ἐνέργεια, actu frigida & calida appellative, quæ τῇ φύσει talia sunt, cum eo Galenus non se litigaturum profitetur: dummodo in διάφωνίᾳ, dissensio solum ēν δύομα, in nomine constat: τὸ δὲ τρόπον, res ipsa verò utrisque in concessō sit atque in confessō: quoniam omnia, siue frigida, siue calida, calidum corpus, quod operari possint, postulant. Lib. 3. c. 20.

#### V I.

An frigida medicamenta, quæ inter τὰ διηθήσια antea fuerunt recensita, hominem perpetuū morti tradant? Respondet Galenus per distinctionem. Nam si cum tali aliquo simplici, quod instar vehiculi se habet, eaq; promptè & cito ad cor deducere potest, hauriantur, utiq; hominem. nec dare queunt: quando scil. in magna quantitate tali simplici permiscentur. At si cum re aliqua præcalida assumantur, illum non

neces-

necessariò perimunt: nimirum cùm pauca in dosi  
cum largo simplici alio usurpantur. Si roges,  
quænam illa res calida sit, cuius beneficio illa sua  
in actione impedianter? Respondet Galenus, esse  
tùm alia, tùm vel maxime vinum, idque non  
quodvis, sed quod vinosum, generosum, tenue, clare  
rum, κιρρὸν, ἡ ξαρθὸν, fuluum, giluum, sive fla  
vum, odoratum, mediocriter vetus, quodque, dùm  
temperatur, plurimam aquam exposcit. Tale enim  
admodum calefacit, facileque in totum corpus  
distribuitur. Sic ergo Galenus ratiocinatur.

Quæ vincunt, & celeriter ad cor deducuntur,  
siquidem deleteria sint, ea homini necem infe  
runt. At meconium, cicuta &c. in magna quan  
titate paucō vino permista vincunt, celeriterque  
ad cor deducuntur. Ergo homini necem inferunt.

Rursus, quæ vincuntur, franguntur, & ob  
tunduntur, licet sint deleteria, hominem non ne  
cessariò exanimant. Dicta simplicia exigua in  
quantitate copioso vino permista vincuntur,  
franguntur, & obtunduntur. Ergo hominem  
non necessariò exanimant.

Quæres, si quis succum aliquem deleterium,  
v.g. papaveris, in tanta dosi, quanta hominem  
luce orbare potest, haufisset, ac etiamnum tamen  
superesset, an sanari queat? Respondet author  
affirmando, præsertim si largiter vinum vetus &  
generosum ingesserit. Tale enim præsentissimum  
remedium esse experientia & ratione confirmat.

Experientia quidem, quia restatur, se quen  
dans

quendam extre<sup>m</sup>e refrigeratum vini Lesbij pōtione servāsse. Addit insuper, vinum generosum & meracum non solum eos curare, qui à refrigerantibus medicamentis vehementer refrigerati sunt, sed etiam agros, qui syncopen ex cordis stomachive affectu paſsi.

Ratione verò ista. Quod remedium frigidorum succorum vires frangit, & superat, id hominem, qui id bibit, à morte vindicare potest. At vinum generosum, quod larga manu ingestum, frigidorum succorum vires frangit & superat. Ergo hominem curare & à morte vindicare potest.

Minor est manifesta. Nam quicquid potenter calefacit, id in copia potum frigidorum succorum vires frangit & superat. Vinum tale, quale descriptum, potenter calefacit. Ergo in copia potum frigidorum succorum vires frangit & superat.

Iterum rogabis, num idem praestare valeat vinum nec multum, nec generosum? Respondet Galenus, tantum abesse, ut hoc praestet, ut etiam mortem acceleret: idque propterea, quia quasi quoddam est vehiculum, quod vim frigidorum eō citius & facilius ad cor ducit. Lib. 3. c. 20.

## VII.

Cūm de frigidis venenis dictum sit hactenus, de calidis etiam dicendum aliquid in sequentibus. Quæritur ergo initio, quomodo inter se convenient, quomodoque differant? Item, qua ratione calida venena cum medicamen-

camentis calidis consentiant? Ad prius respondetur, convenire frigida deleteria cum calidis, quoniam utraque hominem è medio tollunt, cùm sint δυληπία. Differre autem inter se, quòd calida deleteria καλὰ συνεδόνα καὶ διέβρωσιν, erosione ac putredine interimere nata sint; quòd τῷ γένει φθαρίνα sint τῆς οὐράνες φύσεως, genere naturam nostram corrumpant: quòd denique progressu temporis evadant deteriora: frigida vero deleteria non τῷ γένει, sed tantum τῷ ποσῷ hoc faciant: minime erodant & putrefaciant: nec tempore pejora evadant.

Ad posterius dicitur, calida venena cum calidis medicamentis congruere, quòd pleraque eorum calida sint eo modo, quo medicamenta calida, talia scil. τῇ δυνάμει. Deinde, quòd etiam actu calida dici mereantur, non secus ac medicamenta: tametsi talia non semper à nobis sentiantur: idque propterea, vel quia ipsi plurimum caloris habemus: vel quia crassa eorum est substantia: vel quia ab aère ambiente alterata. Pro ut enim cuiusque sensus est affectus, pro eo etiam admota sibi corpora sentit. Id quod Galenus sequentibus declarat exemplis. Etenim, in balneo præcalido urina nostra videtur frigida. Qui solium calidum ferre nequivit, ingressus minus calidum postea illud facile tolerat. Quibus manus algent, aqua fontium tepida apparet, cùm tamen alijs talis neutiquam occurrat. Qui manum frigidam in tritici aceruum immittit, calorem percit-

percipit. Si calidam, nequaquam. At si cumulo stercoris columbarum, potissimum sylvestrium, manum inserat, calidam licet, manifestum tamen calorem sentiet. Sic si acervo Misyos, Soryos, chalcitis, eruginis, calcis &c. manus injiciat altius, protinus calida videbuntur. Quodsi βάλον, bolum, sive frustum ex illis unum acceperit, cusus externa superficies ab aëre sit refrigerata, merito nullū calorem deprehendet. Ratio est: quoniam refrigeratas tantum illius partes contingit, idque antequam in minutis partes sint redactæ. Ad eundem modum tūm putealis, tūm magis fontalis aqua hyberno tempore calida tangentibus videatur. Sed si quis calefactis priùs manibus eam contigerit, frigida putabitur. Huius generis exempla plurima alia adduci possent, ut quivis crederet, medicamenta τῇ Δυνάμει ut ad nos calida, alteri animantium generi actu calida esse.  
Lib. 3. c. 21.

### VIII.

An medicamina, quæ erodendo putrefaciendoque interimunt, genere, non qualitate deleteria sint? Quæ nos contactu per σῦντινην Στάθρωσιν interficiunt, non, ut refrigerantia τῷ μωσῷ, sed τῷ γένει deleteria sunt humane naturæ: h. e. venena calida non nudo simplicique calore vitam nobis eripiunt, sed tali, i. e. maligno & corruptivo, quique in substantia consistit naturæ nostræ inimica.

Potest hoc probari ratione tali. Si talia me-

dica-

dicamenta solo calore essent deleteria & venenās sequeretur, omnia ea, quae quarto gradu calida sunt, deleteria esse. At consequens est falsum; quoniam illa solum calida venena sunt, quae sunt aut putrefactiva, aut corrosiva. Ergo falsum & antecedens. Potest idem & hoc modo confirmari.

Quae nunquam vincuntur & in alimentum non convertuntur, sed in minima etiam quantitate sumpta nos corrumpunt, ea non solo calore, sed malignitate quadam & venenositate peculiari id faciunt. At qui putrefacientia nunquam vincuntur, nunquam in alimentum vertuntur, sed in minima quantitate sumpta nos corrumpunt. Ergo.

Refrigerantia autem pharmaca τῷ θερῷ solum deleteria sunt: quoniam interdum superantur, & nutrimentum animali præbent.

Si quæras, quomodo venena illa, quae τῷ γένει deleteria sunt, nos corrumpant? Respondetur σύντεται καὶ διαβρώσει. Nam quae ipsa putrescunt & putrefaciunt alia, ea σύντεται nos corrumpunt. At dicta pharmaca corporibus nostris diutius inherentia, temporis spatio putrescunt, & putrefaciunt alia, præsertim quae putredini sunt obnoxia. Ergo σύντεται nos corrumpunt.

Rogabis, quænam putredini maximè sint obnoxia? Respondet Galenus ea, quæ calida sunt & humida, cuius generis sanguis est. Proinde & ipsa putrescunt, & putrefaciunt: inter quæ referuntur pharmaca, quæ à putrefactione συντεται δονιά-

Sorbus vocantur : quorum quedam etiam longe  
post tempore, à quo sumpta sunt, necare solent:  
principiè quæ crassæ terrenaque sunt substantiæ.  
Inherentia enim nostris corporibus, dein temporis  
progressu putrescentiæ, vicinas corporis partes ero-  
dunt atque corruptunt. Lib. 3. c. 22.

### IX.

Quas ob causas deleteria ista calida, tam-  
etsi alimenta esse nequeant, tamen non sem-  
per necessariò hominem è vivis abripiant?  
Duas hujus rei potissimum causas esse Galenus  
docet. Una est, eorum substantiæ tenuitas, sive  
subtilitas, quæ facit, ut priùs unà cum excre-  
mentis excernantur, quām corpus afficiant inju-  
ria & offendant. Terrena namque & crassa in  
corpore manent diutiùs. Altera, vel cibus bonus  
& salutaris, vel res quæpiam alia conducens, vel  
Medicus peritus, qui statim fert opem.

Monet tamen Galenus, quòd medicamenta  
ista vel in quantitate sat magna fuerint assu-  
pta, noxamque intulerint gravem, vel παντελῶς  
διάγα, prorsùs pauca ingesta. Illa neque cibis  
obtundi, neque generosis remedijs debellari, neque  
cura Medici frangi queunt. Hæc superari omni-  
nò possunt, aut victu idoneo, aut excretione, quan-  
do, uti dictum, unà cum excrementis educuntur.  
Exemplo esse possunt Cantharides. Nam si cente-  
sima drachmæ particula cantharidis assumatur,  
priusquam animal ledat, unà cum urinis exer-  
nitur.

T

Canthar-

Cantharides enim diureticis miscentur phar-  
macis, sicut pleraq; alia θαράσια alexipharmacis.  
Atque hujus generis medicamenta composita, si  
ēp̄iln̄d̄ēas, decenter & aptè mixta fuerint, effica-  
cissima sunt. Probat hoc illa compositio, quæ ex  
cantharidibus conficitur. Ad urinæ namq; pro-  
vocationem est accommodatissima.

Quod autem θαράσιa medicamina, quæ & in  
dosi exigua, & bonis atque utilibus alijs remedijis  
permista, nihil noxæ partibus inferant, rursus  
exemplo cantharidum confirmari potest. Hæ siqui-  
dem sponte sua unā, cum urina ad vesicā ferun-  
tur, eamque rodendo exulcerant. Verūm, cùm in  
levi parvaque admodūm dosi multis salutaribus  
miscentur medicamentis, illa quidem veluti ma-  
nu ducunt, rodere tamen & exulcerare nequāt.  
Id quòd hoc argumento planum facere licet. Si  
necessarium planè est, ut, quicquid agat aliquod  
pharmacum, licet sit validissimum, iustum dosin  
& magnitudinem debitam habeat, sequitur, e-  
tiam cantharides talem babere debere, ut rodant  
& exulcerent vesicam. At prius verum est. Ergo  
& posterius.

Prius declaratur exemplo ignis. Hic enim si  
minimus sit, præterquam quod non uret, ne ca-  
lefaciet quidem. Centesima enim v. g. scintillæ  
particula ἀγαθὴ est, & sensu à nobis minimè  
percipitur.

Ex quib liquet, quæcumque frigiditate morti-  
ficant, si in paucula sumantur quantitate, nu-  
trire

trire corpus posse, ut succum lactucæ. At quæ putrefaciendo erodendoque necant, nunquam nutritare, ne quidem si ob exiguitatem innoxie corpus permeant. Ratio est: quoniam τῷ γένει humanae naturæ sunt adversa. Lib. 3. c. 23.

X.

An quemadmodum medicamenta alia, licet simplicia videantur, reverè tamen sunt composita, & ex diversis conflata substantijs, diversis imbutis saporibus, sic etiam res se in catharticis habeat pharmacis, quodd scil. diversis substantijs constent, tametsi extrinsecus appareant simplicia & ὅμοιομερη? Ad hœc quæsum Galenus affirmativè respondet: idque exemplo Coccognidij, h. e. seminis, sive grani Thymelæa illustrat. Hoc quippe partes in se diversas habet. Quasdam enim obtinet, quib. Cnico, sive Carthami semini simile est: alias, quib. valde dissimile. Simile illi est secundum medullam, quæ mollis & alba. Simile quoque viribus. Vtrumque enim pituitam purgat. Dissimile, quia præcalidum, quale Cnici semen non est. Sic ergo ratiocinari licet. Si Coccognidium partim simile, partim dissimile est semini Carthami, sequitur, purgans aliquod partibus constare diversis. Prius verum est, ut ostensum. Quare & posterius. Lib. 3. c. 24.

XI.

Quæ causa, quodd quædam καθαρίζουσαι, cum purgatione frustrantur, non modò nihil corpori noceant, sed etiam alimentum illi præ-

Y 2 beans

beant: nonnulla vero s̄is tō φθαρτικὸν καὶ δηλητικὸν vertantur? Causa est catharticorum disperitas. Quædam enim benigna sunt, nihil malitia in se habentia: nonnulla maligna, quæ venenosī aliquid continent. Illa ergo, si maximè actione sua frustrentur, nihil nocent, sed concoquuntur, talemque humorem producunt, qualem trahere nata sunt: hec vero contrario plane modo se habent, quoniam cum illo familiaritatem aliquam habent. Lib. 3. c. 24.

## XII.

Quamobrem καθαρικὰ humores attrahant familiares, nec tamen ab ijs viciissim attrahantur? In Opere de nat. fac. demonstratum est, quod qualitatum, quæ corporibus insunt, proprietatibus & similitudinibus plerique attractiones perficiantur. His enim quæque animalis pars familiare sibi nutrimentum attrahit: his quoque καθαρικὰ familiares sibi humores alliciunt. Verum ab humoribus non attrahuntur, quia illis efficaciora valentioraque. Quod enim est fortius, id trahit minus forte. Καθαρικὰ sunt fortiora humoribus. Ergo illes trahunt: sed ab ijs minime trahuntur.

Majorem Galenus declarat exemplo magnetis. Hic enim licet, ad ferri naturam accedat, inque ferri metallis reperiatur, eique valde similis sit, tamen quia ferro est valentior, ideo trahit ferrum, non ab isto trahitur.

Minorem probat exemplo Cnici: qui licet

cet pituitæ colore sit similis, tamen quia calore illa est potentior, propterea trahit illam, non trahitur.

Coccognidium si quando forte à corpore nostro vincatur, (quod tamen illi ob robur contingit rariū, Cnico autem səpiùs) alimentum efficitur, sicut elleborus coturnicibus. Lib. 3. c. 25.

### XIII.

Cùm dictum sit, καθαγλιὰ purgare trahendo : & tractionem fieri ob similitudinem qualitatum, quæ substantijs inhærent, quaeritur, an evidenter demonstrari queat, Coccognidio & Cnico, cùm pituitam vacuent, pituitosum succum inesse ? Respondet Galenus, demonstrationes esse duplices : alias, quæ necessario concludant, hoc illi inesse : alias, quæ probent, hoc illi posse inesse. Et harum ipsarum quasdam in id, quod ex necessitate inest, μελατίτειν, recidere, quando scil. ex necessarijs consequuntur principiis. Cocco igitur gnidio & Cnico pituitosum inesse succum, evidenter (ἐναργῶς) demonstrari non potest: posse tamen in esse, ac probabile hoc esse, & verisimile, ratione colligitur, his presuppositis fundamentis. I. quod attractio fiat ob similitudinem substantiae. II. quod καθαγλιὰ humores purgent attrahendo.

Quæ ergo pituitam purgant, ea illam trahendo purgant. Coccognidium & Cnicus pituitam purgant. Ergo illam purgant trahendo. Quæ autem pituitam trahunt, ob similitudinem sub-

X 3 stantia

stantia eam trahunt. Coccognidium & Cnicus pituitam trahunt. Ergo ob similitudinem substantiae illam trahunt. Ergo pituitosum quid utriusque inest καθαρικόν.

Diximus, pituitosum quid inesse καθαρικόν, non autem plane pituitam: h. c. simile quid pituitae, non pituitam ipsam. Tractio enim fieri propter similitudinem substantiarum. Itaque quod trahit, simile est, non Tavolò. Idem Coccognidium & Cnicus trahunt pituitam. Ergo similia tangentem illi sunt, non Tavolò, eadem. Differunt namque inter se plurimum, τὸ Tavolò καὶ τὸ οὐοιον. Simile enim trahere potest simile. Idem non trahit idem. Etenim neque ferrum trahit ferrum, neque caro carnem: sed magnes trahit ferrum: caro sanguinem. Lib. 3. c. 25.

#### XIV.

Quotuplex hæc sit in καθαρικοῖς similitudo? Duplex: una actu, altera potestate. Quædam enim καθαρικὰ jam similitudinem possident ad attractionem idoneam: quædam non perfectè (τελέως) quidem illam obtinent, sed in animantis corpore eam accipiunt, non secus ac medicamenta καυσικὰ. Quin & permitti sunt in quolibet eorum similibus succis alijs dissimiles, qui parvum medicamentosi sunt, partim non. Itaque si purgationem haud assequantur, quædam τῶν καθαρικῶν φαρμάκων corpora nostra ladunt: quædam vero alimentum ijs offerunt. Lib. 3. c. 26.

#### XV. Quo-

## XV.

Quoniam nāθaplnā aliquando sua operatione fruantur, & non purgant, aliquando verò nimium & enormiter vacuant, adeò ut non solum humor medicamento familiaris, sed etiam alij omnes vacuentur, quæritur, quānam istius purgationis, quæ ὑπερκάθαρσις vocatur, causa sit? Respondet Galenus, causam esse, non ἐλξίη, tractum, sed irritationem & apertioνem venarum. Irritari autem venas, quoniam à pharmaco purgante mordicantur. Hinc fit, ut vires eorū dissolvantur, & humores ab illis retineri nequeant. Concurrunt igitur in ὑπερκάθαρσις I. δῆξις, mordatio, ob medicaminis acrimoniam. II. ἐθερίσμος, irritatio. III. ἀναζόμωσις, orificiorum in venis apertio. IV. immo-  
dica nāθaρσις. Simile enim quid accidit venis, quod ventriculo. Vbi enim pars illius superior extreμē debilitata est, enormes fieri vomitus solent eorum, quæ ingesta sunt. Quando verò inferior vehementer est, enervata, λειεντερία exurgit.  
Lib. 3. c. 27.

## XVI.

Quæ & quo ordine excernantur, quæ in ὑπερκάθαρσις excerni videmus? Cùm infirmitas & apertio venarum adhuc est modica, qualis esse solet per initia, tunc quod est tenuissimum, & naturæ minime familiare, evacuatur. Ast ubi utrumque vitium est aductum, jam tūm etiam crassa, & quæ naturæ familiarissima sunt,

educuntur: & quidem hoc ordine, ut flava bilis expellatur primo, pituita secundo, tertio bilis nigra, postremo loco sanguis, quoniam succus est naturae οἰκεῖοταλός, familiarissimus. Ante hunc vero primus quidem, qui tenuissimus: postremus, qui crassissimus: de quo ordine etiam Hippocrates lib. de Nat. hum. differuit: inquiens, si homini propinaveris purgans φλεγμαγωγὸν, 1. quidem in ὑπερηθάσεσι pituita effluet: 2. bilis flava: 3. bilis atra: 4. sanguis. Si dederis χολαγωγὸν, 1. flava bilis ejcietur: 2. pituita: 3. bilis atra: 4. sanguis. Si μελαναγωγὸν exhibueris, 1. evacuabitur bilis atra: 2. bilis flava: 3. pituita: 4. sanguis. Quod autem sanguis ultimo semper loco in superpurgationibus egrediatur, hoc argumento probari potest. Qui humor naturae est familiarissimus, vita thesaurus, naturae veluti dilectus filius, partium omnium commune pabulum, ipsiusq; caloris nativi fomentum, is ad extremum reservatur, minimeque effluit, nisi vasa & conceptacula illius quasi ἄτυχα sint facta, summeque debilitata, & orificia illorum ad extremum reserata. At sanguis talis est humor, quemadmodum Galenus illum l. de cur. rat. per S. M. c. §. comm. §. aphor. 64. & l. 6. de loc. aff. c. 4. appellat. Ergo ad extremum à natura reservatur, minimeq; effluit, nisi conceptacula ejus jam quasi ἄτυχα, inanimata sint facta, summe debilitata, & orificia eorum ad extremum reclusa. Egreditur ergo in superpurgationi-

tionibus. I. humor tenuis: post crassus: tandem,  
sanguis. Lib. 3 c. 27.

XVII.

Quæ causa, quod in superpurgationibus  
etiam humores alij, καθαρικῷ pharmaco mi-  
nimè familiares, evacuentur? Triplicem eam  
esse Galenus docet. I. est ἡ ἀρρεσία τῶν ἀγ-  
γέων, imbecillitas vasorum. II. ἡ ἐυρύτης τῶν  
σομάτων, orificiorum laxitas. III. ἡ δῆξις τῆς  
καθαριστῆς φαρμάκου, mordicatio medicamentis  
purgantis. Planum hoc facit tali argumento.  
Si humores omnes retinentur, vasorum retentri-  
ce existente valida osculis eorum clausis, nullaq;  
re presente, quæ mordicare, vellicare, stimulare  
& irritare vasa possit, sequitur, omnes effluere,  
vasis ad extremum debilitatis, osculis eorum re-  
clusis, & presente re stimulante & irritante, &  
quidem κατὰ τὴν εργασίαν τὰξιν, eo ordine, qui  
indicatus. At prius est verum. Verum ergo &  
posteriorius.

II. Si una δῆξις, mordicatio, à purgante me-  
dicamine facta, sufficere potest, ut vasa ad excre-  
tionem excitet, multò magis excernent, ubi &  
apertio eorum, & debilitas cojerint. At una δῆ-  
ξις sufficere potest, quæ vasa ad excretionem sol-  
licitet. Ergo multò magis excernent, pluribus  
causis concurrentibus: quoniam plus roboris inest  
pluribus, quam uni causæ. Lib. 3. c. ult.

XVIII.

Quæ causa istius apertiois, & infirmi-  
tatis

tatis vasorum? Aperiuntur in hypercatharsibus  
orificia vasorum διὰ τὸν ἴσχὺν τῆς φαρμάκου, δι-  
ῆντερ καὶ ἡ δύξις, propter purgantis robur atque  
potentiam, ob quam & mordicatio provenit.  
Vasorum autem infirmitas accidit partim διὰ τὸν  
σφοδρὸν κάμαλον, ob ingentem defatigationem, qua  
dùm à purgante mordicarentur, ac velut emul-  
gerentur, contraxerant: partim διὰ τὸν καλαμά-  
βάνυσταν αὐλὰ δυσηρασίαν τὸν ταῦς μπερκαθέρσεσιν,  
ob intemperiem, quæ in superpurgationibus occu-  
pat. Quemcumque enim humorem δλον, penitus  
evacuaveris, intemperiem consequi est necesse.

Liquet ergo, 3. esse causas, cur à purgante  
etiam alieni humores exturbentur. Constat quo-  
que, 3. causas esse, cur dicto ordine in hyperca-  
tharsi ejciantur: tenuitatem, crassitatem, & fa-  
miliaritatem humorum. Magis enim & minus  
quilibet succus animalium constitutioni fami-  
liaris existit. Libr. 3. c. ult.



## COROLLARIA.

### I.

**A**N quædam ex purgantium medicamen-  
torum ordine venenata sint? Artis nostræ  
proceres triplicem catharticorum classem excogi-  
tarunt. Prima est benignorum & valde mi-  
gium, quæ blandè clementerque purgant: ut Man-

na.

na, Cassia, Tamarindi, Myrobalanorum genera,  
Rosarum & Violarum succus. Secunda medio-  
crium, quæ purgant efficacius ut Rhabarbarum,  
Agaricum, Sena, Aloë, Hermodactyli, Turbit, Me-  
choaca, Soldanella, Sem. Carthami, Flor. persicor.  
Tertia vehementium, quæ humores exturbant  
potentissime: ut Helleborus albus, Colocynthis,  
Esularum & Tithymalorum genera, Scammonia,  
succus Cucumeris asinini, qui dicitur Elaterium,  
Euphorbium, Thymelæa, Laureola, Chamelæa, An-  
timonium, Mercurius, succus radicis Iridis, Ebuti  
& Sambuci, Gratiola, Ricini & Cataputiae, sive  
Lathyridis grana, Gutta gamandra &c. Ex his  
primæ & secundæ classis innocua sunt, ut expe-  
rientialia testatur. Leniter enim & mediocriter  
noxios humores evacuant, nullamque malignam  
qualitatem corpori imprimunt. Tertiæ maligni-  
tatis sanè & venenositatis haud expertia viden-  
tur: quemadmodum eadem rerum Magistra pro-  
bat. Gravia enim symptomata excitant, ut po-  
te convulsiones, tortina ventris, virium pro-  
strationem, vomitiones violentas & crebras, le-  
iophymiam, iredo & syncopen cum frigido sudore,  
algore extremorum, pallore, aut livore faciei.  
Proinde neque senibus, neque mulieribus, neque  
pueris, neque debilibus & infirmis naturis tuta.  
Hanc illorum malignitatem id quoque detegit,  
quod in parva quantitate data vehementer pur-  
gent. Sunt tamen alia alijs pejora: quædam  
etiam corrodendi & exulcerandi facultate pre-  
dita:

ditas quo fit, ut sanguinem quoque proliciant.  
Observandum autem, venenositatem nos acci-  
pere laxius: non quod instar animalium, mine-  
ralium aut stirpium specialiter & propriè dicta-  
rum venenatarum venenum in se habeant, sed  
quod maligna sint admodum, & symptomata in-  
ducant ijs similia, quæ venena nūgiōs nāi idīos  
vocata invehere solent.

II.

An unum idemque corpus & alimentum,  
& medicamentum, & venenum esse queat?  
Vnum idemque corpus & alimentum, & medica-  
mentum statuere nihil absurdum est. Notorium  
quippe, alimenta quedam medicamentosa esse, &  
nonnulla medicamenta esse alimentosa. Quin im-  
paucissima sunt, quæ pure & merè alimenta sunt:  
pleraq; autem omnia medicatrice facultate pre-  
dicta: authore Galeno l. I. de alim. fac. c. I.  
quæ nos non solum alunt, sed etiam alterant.  
Haud præterea veritati repugnat, si dicatur,  
unum aliquod corpus & medicamentum purgans,  
& venenum esse. Tale enim Antimonium est. Re-  
pugnat illi autem, si affirmetur, corpus aliquod &  
alimentum, & venenum esse. Hæc enim planè con-  
trariæ sunt facultatis. Nam alimentum naturæ  
est amicum, eamq; conservat, & corpori assimila-  
tur, reperiturque tantum in genere plantarum.  
Venenum naturæ planè est inimicum, eamque de-  
struit & demolitur, & non solum in albo plan-  
tarum, verùm etiam animalium & fossilium cor-  
porum

porum invenitur. Hanc ob causam nullum corpus & alimentum, & medicamentum, & venenum esse potest. Licet autem Galenus doceat hoc in libro cap. 18. quædam venena sola quantitate venena esse, modicè vero sumpta in alimoniam corporis converti, sciendum tamen, veneni vocabulum illum sumere latius. Nam venena, quæ non τῷ θωτῷ, sed τῷ γένει, b. e. natura & malefica qualitate corpus nostrum demoliuntur, nullo modo alimenta vocari queunt: nisi contradictoria concedere placeat, & asseverare, unum idemque corpus naturæ inimicum esse & amicum: natum conservare & destruere: à corpore pati, & in id agere: corpori assimilari & dissimile prorsus illi permanere.

### III.

Num recte Galenus hoc in libro venena tribuerit in ea, quæ τῷ θωτῷ καὶ τῷ γένει interimunt: & hæc posteriora iterum in illa, quæ σίται, & διαβρώσαι, putrefactione & erosione necant? Accurata certè & perfecta venenorum divisio dici minime potest. Priora enim propriè venena non sunt. Alias non tantum medicamenta frigida modum in quantitate & dosi excedentia, sed multa quoque alia, etiam cibi & potus refrigerantes, si immoderatius ingererentur, in ordine venenorum habendi essent. Posteriora ita comparata sunt, ut non omnia venena, quæ τῷ γένει talia sunt, sub se comprehendant. Et enim, non omnia venena putredinem induunt: neque

neque omnia vim corrodendi habent. Concedimus quidem, nonnulla venena qualia esse : sed non omnia. Largimur quoque, quedam esse corrosiva: verum de omnibus istud dici nequit. Huc accedit, quod venena idios sumpta non qualitatibus manifestis, sed occultis & abditis operentur. Differt enim operatio venenorum ab actione eorum, quae elementaribus qualitatibus operantur, quammaxime. Nam in parva admodum quantitate, imo & in minima, hominem vel necant, vel gravia & periculosa inferunt symptomata; idque intra exigui temporis spatium : quod qualitates elementares facere non valent, tametsi larga manu fuerint cum subjectis suis assumpta. Quae causa est, quod venenis antidotis & alexipharmacis δλη τη ρεια, ut Galenus loquitur, agentibus, medeamur : noxas autem à manifestis qualitatibus introductas contrarijs duntaxat emendemus qualitatibus.

#### I V.

An quod malignum est etiam sit venenatum ? Negatur. Nam τὸ malignum latius patet τῷ venenato. Omne enim venenatum malignum est: sed non contra. Humores quippe & vapores in nobis haud raro gignuntur, qui maligni, quod nos occulto modo vehementer lēdant: non tamen strictè & propriè loquendo venena sunt. Propriè enim & specialiter venena ea cēsentur, que non ex putredine & corruptione qualitatem naturæ nostræ inimicam acquisiverunt: sed quæ

quæ suâ naturâ , absque ulla putredine & corruptione , ita sunt disposita , ut abdito modo , & per se , corpori nostro , ut plurimum intra paucum tempus , vehementer noceant , idque in vita discrimen coniçiant . Talia ex vegetabilium genere sunt Napellus , Taxus , Dryopteris , Cicuta , Hyoscyamus niger , succus Coriandri viridis , Fungi , qui dicti lethales . Mandragora , Solanum maniacum , Nerium , Aconitum , Meconium , Opium . Ex familia animalium Vipera , Scorpij , Canes rabie correpti . Bufones , Araneæ . Ex ordine corporum fossilium & mineralium , Arsenicum , Auripigmentum , Mercurius , Sandaracha Graecorum . Huc referri possunt etiam illa piastula , vesperai à πορπίσει καὶ ἀπόρροαι , inquinamenta , morbidæ expirationes & infectorum corporum defluvia , quæ pestis tempore aëri sunt admista .

V.

Num natura & essentia veneni in putredine consistat ? Iam dictum fuit , plurima venena in vegetabilium , animalium , & fossilium corporum classe contineri , quæ omnis sint putredinis experientia . Quod si natura & essentia veneni posita esset in putredine , tūm omne , quod putridum est , venenum nobis foret , quod à toto esse , praxis docet . Nam & caseus verminosus , & fructus horei vermiculis scatentes , & humores in febribus continuis atque intermittentibus putridi , & partes nostri corporis , ut renes , pulmones , alia , quæ putrefactæ , venenatae essent , quod falsum esse ,

esse, effectus ostendunt. Non enim symptomata talia producunt, qualia venena proferre consueverunt. Natura igitur venenorum in specie dictorum in occultiore vi consistit; qua plurimum nobis officere, imò vitæ adferre exitium queunt.

VII.

An venenati in nobis generari possint humores & vapores? & quo modo? Ad prius quæsitum respondetur, humores & vapores gigni in corpore posse, si non prorsus venenosos, saltem venenatis admodum similes. Confirmat hanc assertionem Galenus l. 6. de loc. aff. c. 5. comm. 3. in l. 3. epid. ægrit. 4. & multis alijs in locis. Probant eam effectus & curandi methodus. Etenim, in febribus malignis & petechialibus, non ab externa causa ortis, in epilepsia, in elephantiasi, in ulceribus cancerosis & phagedanicis, in suffocatione ab utero &c. manifeste humorum & vaporum virulentiam comprehendimus: idque ex symptomatum gravitate, & cito internecione, quæ potissimum contingere sollet in febrib. malignis & uteri strangulatu, colligimus: quib. etiam alexipharmacis & bezoarticis occurrimus.

Ad posterius dicitur, corrupti vitiarique humores vel ab internis, vel ab externis causis.

Internæ sunt viscerum συσκεψία, obstructio, impuritas, aut substantiæ illorum corruptela. Ventilationis item intermissio. Externæ & evidentes sunt aër inquinamentis malignis contaminata.

minatus: cibi & potus, qui vel jam putridi sunt  
actu, vel facilimè putredinem concipiunt: luctus  
& mœror diuturnus, curæ & sollicitudines assi-  
duæ, vita ignava & sedentaria, consuetorum ex-  
crementorum evacuatio suppressa: omnium ve-  
rò maximè venena, quæ vel comesta, vel pota, vel  
inspirata, vel inuncta, vel saltem contrectata.  
Quàm enim illa corpus universum ejusque humo-  
res contaminent atque corrumpant, notius est,  
quàm ut explicari debeat.

## VII.

Utrum Papaver æquè frigidum sit, ac Ci-  
cuta, Hyoscyamus, Mandragora, quæ Gale-  
nus propter excessivam frigiditatem vagabili-  
tatem statuit? Negatur. Loquimur autem de pa-  
pavere albo, hortensis & sativi nomine insignito:  
quod sic dicitur, quia & flos, & semen illius can-  
dicat. Nam si extremè frigidum esset, utique &  
hominem magnopere refrigeraret, & citra noxam  
intrinsecus semen ejus usurpari non posset. At  
manducatur innoxie. Etenim, secundis mensis  
quandoque cum alijs tragematisbus saccharo in-  
crustatum apponitur. Oleum quoque, quod ex  
illo exprimitur, gratum est & edule, panique il-  
litum, aut alio quovis modo in cibo, citra refri-  
gerationis sensum, sumitur. Galenus etiam tūm  
lib. 1. de al. facult. tūm 1. 7. simpl. c. propr.  
scribit, homines suo seculo semen istud pani in-  
spersisse, ac melle maceratum comedisse. Recensent  
Dioscorides & Galenus præter hoc papaveris

genus adhuc tria alia: quae albo sunt validiora:  
ut pote nigrum, & duo sylvestria.

VIII.

Quamobrem amara minimè omnium putrescant? Quia quæ talia exquisitè, non alieno sapore sensibili effatuque digno prædita, admodum sicca sunt. Humida namque corpora facile putrescunt, quemadmodum olera, fructus æstivi, pisces, carnes &c. satis id declarant. Sicca contrà diu durant: quod nos ossa, lapides, metallæ, ligna solida atq; compacta, qualia sunt querina, cedrina, guajacina, docent.

IX.

Sitnē Lactuca tantoperè frigida, ut cor refrigerare, hominemq; è medio tollere possit? Viderur certè Galenus hoc ipsum affirmare cap. 18. hujus libri. Sic enim ille. Si lactucae succus cundetur, nec statim ad cor deferatur, spatio temporis à partibus & humoribus intermedijs patitur, b. e. concoquitur, & in alimentum abit. At si integer ad cor properet, non secus, atque cicuta, hominem interficit. Quod ipsum & succi alij, admodum refrigerantes facere solent. Nos humidam quidem frigidamque esse lactucam concedimus: idque non solum autoritate Botanographorum probamus, sed etiam experientia stabilimus. Scribit enim Dioscorides l. 2. c.m. 128. lactucam inflammationibus & ignibus sacris opulari, somnum conciliare, semen quoque illius libido imaginationes in somno compescere, Venerique

nerique refragari : quo nomine procul dubio à Pythagoricis ἐνέχιον appellata fuit. Quæ omnia ipse quoque Galenus habet l. 6. simpl. c. propr. & sitim insuper restinguere addit. Sed tanta pollere refrigerandi facultate, ut cordis calorem abolere, hominem necare valeat, minimè arbitramur: idque ipsiusmet Galeni testimonio loc. cit. confirmamus. Ait enim, lactucam olus quidem esse humidum & frigidum, non tamen extremè: sed perinde ut aquam fontanam: additque rationes duas: unam, quia si extremè frigida esset, edulis minimè foret. Alteram, quia phlegmonibus quidem, & levibus exiguisq; erysipelatibus est accommodata: majoribus autem satisfacere non potest. Quodsi quarto ordine frigida esset, male cum illis ageretur, qui aestivo tempore singulis ferè diebus acetaria ex lactuca parata larga inge- rere manu consueverunt.

X

Nunquid Lactuca lactis producere copiam possit? Sic multis est persuasum: è quod & nomen suum à lacte habeat: & lactei succi plena sit, præsertim caulis illius, qui fauciatus, liquorem lactei candoris profundit. Verùm, si γαλακτωτοί in à ea statuuntur, quæ vel bonum, laudabilem, copiosumque sanguinem gignunt, qui lactis est materia: vel quæ sanguinem virtute penetrativa, aperitiva, incisiva & attenuatoria ad mammas dèducunt, nullo horum modorum lactuca lac proferre dici poterit. Non priori,

Z 2 quoniam

quoniam olus est frigidum & humidum, sanguis  
autem calidus. Ideoq; neque multum, neque pro-  
bum sanguinem gignere valet. Non hoc, quoniam  
dictis facultatibus caret. Quid ergo? Nihilne ad  
lactis procreationem confert? Confert omnino: sed  
per accidens solum: & tamen non in omnibus, ve-  
rūm ijs duntaxat mulieribus, quibus propter ca-  
liditatem & siccitatem temperamenti lac aut  
plane deest, aut parcius suppetit. Nam dyscra-  
siam istam contemperat, astuantem ventriculum,  
fervidumque hepar & cor refrigerando. Fœminis  
phlegmaticis & frigidis lactis generationem mini-  
mè promovet, sed potius non parum remoratur  
& impedit. Galenus lib. 2. de al. fac. c. 40.  
eleganter hac de re differit. Ideoque facere non  
possimus, quin locum illum huc referamus. Ait,  
multos Medicos lactucam omnibus anteposuisse  
oleribus, ut ficus fructibus autumnalibus. Quosdam  
verò aliquid in ea reprehendisse: quod tamen  
maxime in ea laudandum esset, si illi revera in-  
esset: imò nulli non olerum modò, sed ne optimi  
quidem ac nutrientissimi succi eduliorum esset  
secundum. Dicunt enim, lactucam generare san-  
guinem. Alij scribunt, non simpliciter generare  
sanguinem, sed copiosum illum gignere. Qui li-  
ceri prioribus tolerabilius & prudentius lactucam  
accusent, longius tamen à veritate recedunt. Ne-  
mo enim jure eam reprehendere posset, si multum  
procrearet sanguinem. Haberet namque in se  
succum ciborum omnium præstantissimum: eò  
quod

quod suapte natura sanguinem plurimum, aliorum autem humorum nullum proferret. Quodsi tamen omnino concederemus, lactucam τωλυαμιαν gignere, vitium tamen istud emendari posset facilime: & quidem duobus modis: uno, exercitatione corporis crebriore: altero, esu lactucæ parciore. Concludit tandem Galenus, omnia quidem olera sanguinem producere paucum & pravi succi: inter ea verò lactucam non multum quidem edere, neque succi mali, non tamen omnino laudabilis & bonæ notæ,

### XI.

Cur Cicuta hominē morti tradat, sturnos non item, sed ipsis in alimentum cedat? Galenus cap. 18. hujus libri hanc diversitatis rationem dat: quoniam cicuta in homine celeriter ad cor pertingit, idque refrigerando interimit. Pertingit autem eò celeriter trib. de causis. 1. ob meatuum amplitudinem. 2. ob caloris copiam. 3. ob attractricis, quæ in arteriis est, robur. Sturnos verò contrariis de causis minimè perdit. Nam & retinetur, & cundatur, & sese temporis tractu concoqui alterariq; à corde, tanquam à foco præcalefacto, permittit: non secus at ligna viridia igni circumposita. Talia enim ignem extinguunt: ab eo vero exiccata pabulum illi præbent. Verūm, rationem principalem non attingit. Censemus enim, Cicutam hominem propterea necare, quoniam illi lethale venenum est, non τῷ ποσῷ, excessu frigiditatis, sed τῷ γέρει,

καὶ δλη τῇ θσιᾳ Quod Socrates, fons ille à Quintiano, a Cicerone Parens & Princeps Philosophorum, Apollinis verò oraculo ἀνδρῶν ἀπάντων σοφώτατος cognominatus, Athenis expertus est, sūm dolosè ac fraudulenter ab Anito & Melito accusatus, & postea cicutæ potu publicè sublatus esset è medio: quam historiam Laërtius in illius vita l. 2. diexodice exponit. Licet autem Di scorides l. 4. c. m. 67. asseveret, cicutam hominem jugulare vi refrigeratoria, tamen id refutari potest ex ejusdem lib. 6. c. m. 11. quoniam ejusmodi edere effectus in homine dicit, qui nudæ frigiditati adscribi neutiquam possunt. Ait enim, cicutam excitare vertiginem, oculis offundere caliginem, ita ut minimum cernant: ciere singultum; mentem turbare: convulsiones inducere; & suppresso spiritu strangulare. Quod sturvis cicuta non noceat, in causa peculiaris illius κράτει est, quæ facit, ut quod huic animali est venenum, alteri sit salutare alimentum. Helleborus nos vehementer purgat, coturnices alit. Cnicus similiter nos vacuat, Psittacos nutrit. Differt, inquit Hippocrates libr. περὶ φυσῶν, corpus à corpore, natura à natura. Non enim omni animantium generi eadem aut non con ferunt, aut commoda sunt: sed sunt alia aliis magis convenientia.

## XII.

Recte dicat Galenus, l. 3. simpl. cap. 18. actiones prodire à solidarum partium calore?

Tò

Tò σερέον, solidum, aliter à Grammaticis, aliter à Medicis accipitur. Illi solidum usurpant I. pro eo, quod trinas habet demensiones, longitudinem, latitudinem & profunditatem, II. pro eo, quod ex una similique per totum substantia constat. Sic Virgil. l. 6. Aeneid. vocat columnas solido ex marmore confectas: templa solido de marmore instituta: & l. 3. Georg. solidum elephantum, sive ebur, aurumque solidum appellat. III. pro toto atque perfecto, quod omnibus suis partibus est præditum, & cui nihil detractum, ὅλομερον. Hoc modo Plautus annum vocat solidum, qui integer est, non interruptus. Hi vero solidam partem varijs alijs modis interpretantur. Et I. quidem solidam partem nominant eam, quæ constans est, atque compacta. II. quæ continens est. Qua ratione Hippocrates l. 6. epid. sect. 7. totum corpus dissipavit in contenta, continentia & impetum facientia. Vbi per τὰ contenta intelligit τὰ υγεῖα, humores: per τὰ continentia τὰ σῆρα, partes solidas: per τὰ impetum facientia τὰ πνεύματα, spiritus: sic interpretante Galeno l. 1. de diff. febr. c. 1. & l. 1. de trem & palpit. c. 5. III. quæ est animata & vivit, propriamque circumscriptiōnem habet. IV. quæ est spermatica, diversa scil. ab ea, quæ carnosa, qualis est, quæ sanguinea: authore Galeno l. 11. meth. med. c. 11. l. 1. de nat. fac. c. 7. & l. 1. de sem. c. 16. spermaticas vero partes appellat idem in μικρόλεχυν cap. 59. primas: vel quod reliquarum sunt fundamenta, & quasi

quasi prima stamina: vel quod materia illarum,  
semen, principium sit primum: vel quod sperma-  
ticæ partes generatione priores sint carnosis.  
Nos per solidas partes intelligimus utrasq; sper-  
maticas & sanguineas, sive carnosas. Ab utrisq;  
enim actiones eduntur. Sed quæritur, an rectè  
dicatur, à calore earum illas proficisci? Respon-  
demus, prodire ab anima, tanquam à principio  
primario: à calore, velut ab animæ instrumento:  
à calido nativo, cuius pars est insitus calor: ab  
idiotryngastia, temperamenti proprietate, quæ ea-  
dem cum calido innato.

### XIII.

Quam ob causam alij succi citò putre-  
scant atque acescant: alij citra putredinem  
durent diutius? Citò putrescent & acescent  
illi, qui vel sunt adhuc crudi, plurimum aquosæ  
in se habentes humiditatis. Vel maturi qui-  
dem, sed frigidi & humidi. Tardius vero cor-  
rumpuntur, qui maturi, perfedique  
cocti: aut qui calidæ & sic-  
cantis naturæ.

F I N I S.

2d 2663

ULB Halle  
006 549 195

3



WCM M






# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



JM  
UM

2.23.24.

*est Libri  
amento-*

*ca Argen-  
posita*

IZIO,  
ESSORE  
Cæsa-  
ro:

DOVICO  
NO.

TI,  
ELPERI.